Handschrift

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36453
Copyright: Melk, Benediktinerstift

et ita ait. En fratres oportet me hodie propriis manibus
obsequium prestare et ministrare vobis. ut pariter letifice-
mur. Hoc uero fialam apprehendit et manu sua miscuit
illis omnibus. et letati sunt ualde. Postquam letati sunt
clerici et iocundati simul ad inuicem dicebant gloriam
et laudem deo summo demus. qui nunc tale donum tribuit
per famulum suum. nullus quippe deinceps incredulus existat.
quanta et qualia per eum dominus miracula et uirtutes
operatur? De lapide magni ponderis miri leuitate
Preterea cum perageret in edificium collocato-
beatus Nicolaus ad pia loca et uenerabilia.
premisit ministrum suum arthenam nomine accersire
cementarios et artifices ad construendam ecclesiam ut in-
ciderent lapides. qui cum essent insimul homines lxx
per spatium totius diei nullo modo mouere ualebant lapidem
unum ut eum apte edificarent. Postmodum uero fatigati et
conturbati. ipsum opus dimiserunt simul sedentes. Tunc
in dei nomine beatissimus Nicolaus premixit se. et consignans
cum duobus tantum eundem lapidem uertit. et in loco quo uo-
luit per dimidiam horam apte edificauit. Videntes autem
omnes qui illic aderant. statim proruperunt in uocem
laudantes et glorificantes dominum. qui tantis uirtutes
in omnibus cum sancto uiro operari dignatus est. quia non solum
homines uerum etiam lapides obediunt ei ad instar
redemptoris uerbo. qui dignatus est dicere. si habueritis
fidem ut granum sinapis dicetis monti huic tolle te
de loco et tollet. De eis qui steriles fuerunt sua uir-
tute diu optatum filium contulit.
Verum quia multum est prosequi quanta et qualia
per eum dominus signa et miracula ostendere dignatus

est